



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Honore, Dignis Vel Indignis, Jvste Vel Inivste, Deo  
Semper Jvstissimo, Dato, Negato, Violato**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1650**

§. 2. Christum ipsum multis antè modis humiliatum, quàm exaltatum  
fuisse.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48689](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48689)

## §. II.

*Christum ipsum multis antè modis humiliatum, quàm exaltatum fuisse.*

An non tinxit Deus etiam Dauidem, à Saule toties fugatum, & tantùm non interceptum? Ita illum sibi in regem expoliuit. Neque differt semper in finem vitæ innocentia gloriæque manifestationem, sed sæpe in medio etiam vitæ cursu, quasi digitum intendit in Sanctorum suorum nobilitatem. Ipse Christus in stabulo natus, in exilium fugatus, ab Herodis furore & ferro subducendus fuit; à Iudæis non Dei, sed fabri filius nominatus est: toties à Pharisæis illusus, toties cachinnis exceptus, immò ab ipsa Matre sua veste haud sanè splendida amictus est; sæpe præ inopia impransus atque incœnatus pernoctabat in oratione: postea autem quanto splendore enituit, in monte Thabor, quando ante discipulos suos transfiguratus est, & *resplenduit facies eius, sicut Sol: vestimenta autem eius facta sunt alba, sicut nix?* Adeò plena lucis & maiestatis tunc erat ea transfiguratio, vt in eam oculos non possent intendere discipuli, qui præ reuerentia sibi timentes in faciem ceciderunt. Non itaque poterant prudenter scandalizari

Matth.  
17. 2.

dalizari ignominijs, aliunde etiam illatis, qui gloriam in Deo tantam ei viderant circumfusam. Eduxit enim quasi lumen iustitiam illius Pater; & omnia mala quæ sustinuit, abundè compensavit. Nam de quanta ignominia in quantam eum gloriã euexit, cum exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen, ut iam in nomine eius omne genu flectatur caelestium, terrestrium, & inferorum? Nomen non solùm Dei, & Filij Dei, & Messiaë notissimi & famosissimi in toto orbe, sed etiam IESV Saluatoris, & Redemptoris; quod nomen quomodo sit super omne nomen, docui in libro de Nomine IESV. Et par erat, ut is summum nomen obtineret, qui summis fuit calumnijs appetitus. Cum enim calumnia sit falsa & malitiosa criminis impositio, quid potuit vel falsius esse, quàm de eo, qui non venit soluere legem, sed adimplere, dicere: blasphemauit? Matth: quid malitiosius, quàm illum accusare dicendo: Hunc inuenimus subuertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dare Caesari: qui disertissimè dixit: Date Caesari, quæ Caesaris sunt? qui que venit, tamquam Messias, ut gentem illam saluam faceret?

Psal. 36. 58

Phil. 2. 99

S. Thom: 2. 2. q. 68. 3.

Matth: 15. 17.

Luc. 23. 14